



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Capvt Decimvmsextvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

appellatur ad Coloss. 3. quam tradit Rupert. Ansbert. & alij. Rectè igitur Ange-
 li circa pectora præcincti zonis aureis ostenduntur, quia sanctorum prædicatorum
 corda nulla debent à se diffensione seungi, sed ex sola charitate constringi, vt ait
 Ansbert. Et præterea, quia ipsi met debent summa erga Deum, & proximum cha-
 ritate fulgere. Secunda est de castitate, quæ zonæ aureæ circa pectora similis di-
 citur, quia sancti prædicatores non solum turpia, & inquinata carnis operâ, quæ
 in lumbis restringuntur: verum etiam ipsas immundas cogitationes vigore me-
 tis frænare debent: quæ expositio ab eodem Ansberto, Richardo de S. Vict. &
 Haymone traditur. Tertia est Abb. Ioachimi, quæ eodem fere cum præcedere
 recidit: Zonas, inquit, pelliceas circa lumbos habere multorum est: auream vero circa pecto-
 ra paucorum: quia nimirum multi sunt, qui carnis continentiam seruant, paucorum vero est
 mentis mundiciam possidere. Porro ad castitatem corporis Zona pellicea sufficit, quia carnis
 maceratio luxurie petulantia domat: hic vero zona aurea necessaria est, quia nullo modo men-
 tem continere possumus, ne per immunda desideria dissolatur, nisi eam indesciementer speciali
 meditatione constringamus.

Quarta est Primasij per zonam auream accipientis sapientiam, qua Concio: IV.
 nator præstare debet, iuxta illud Prou. 16. secundum editione Septuaginta: *Ac-
 cipite sapientiam sicut aurum.* Et merito circa pectora zona stringitur, vbi etiam sa-
 cerdotale pectus iubetur gestare rationale, vt sibi mens bene conscia diuina nõ
 audeat reprehendere, sed laudare iudicia, & illius auri fulgore alios quoque ad
 laudandum exhortetur. Quinta est aliorum. *Vestitis sunt lapide mundo,* id est, bona
 conuersione: aut etiam, lapide, id est, patientia, & mansuetudine. Ezech. 3. *Vt uida-
 mantem, & ut silicem dedis faciem tuam.* Debet enim prædicator esse adamas per ma-
 suetudinem, vt attrahat peccatores ad gratiam: silex vero per patientiam, vt la-
 boriosum concionandi munus animosè sustineat, & iniurias improborum sa-
 pienter ferat: aut certe per mansuetudinem magnes, per patientiam adamas, quod
 in laudem Magni Athanasij usurpauit Greg. Naz. in orat. funebri. Duorum, in-
 quit, lapidum naturas imitabatur laudabilium: factus enim est percutientibus
 adamas, dissidentibus magnes.

ARGUMENTVM.

Adhuc perseverat quintæ visio huius operis. Septem illis Angelis, qui superiori
 capite cum septem phialis plenis iræ Dei apparuerunt, præcipitur, vt eas in terram
 effundant in quarum effusione multa, eaque admiranda prodigia contigerunt, vt pa-
 tebit ex sequentibus.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Audiui vocem magnam de templo dicentem septem
 Angelis: Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in ter-
 ram. Et abiit primus Angelus, & effudit phialam suam in
 terram: & factum est vulnus sæuum, & pessimum in ho-
 mines, qui habebant characterem bestię, & in eos, qui adorauerunt
 bestiam, & imaginem eius. Et secundus Angelus effudit phialam
 suam in mare: & factus est sanguis tanquam mortui, & omnis anima
 viuens mortua est in mari. Et tertius effudit phialam suam super flu-

mina, & super fontes aquarum, & factus est sanguis. Et audiui Angelum aquarum dicentem: Iustus es, Domine, qui es, & qui eras factus, qui hæc iudicasti, quia sanguinem Sanctorum, & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere: digni enim sunt. Et audiui alterum dicentem: Etiam Domine Deus omnipotens vera, & iusta iudicia tua. Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem: & datum est illi æstu affligere homines, & igni: & æstuaerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam. Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiarum: & factum est regnum eius tenebrosum, & commandauerunt linguas suas præ dolore: & blasphemauerunt Deum cœli præ doloribus, & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, & siccauit aquam eius, ut præpararetur via regibus ab ortu solis. Et vidi de ore draconis, & de ore bestiarum, & de ore Pseudoprophetarum exire spiritus tres immundos in modum ranarum. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad reges totius terre congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei. Ecce venio sicut fur. Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius. Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon. Et septimus Angelus effudit phialam suam in aërem: & exiuit vox magna de templo à throno, dicens: Factum est. Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & tremor factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis terræ motus, sic magnus. Et facta est ciuitas magna in tres partes: & ciuitates gentium ceciderunt. Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ eius. Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti. Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines: & blasphemauerunt Deum homines propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer.

COM-

COMMENTARIUM VNICVM EXEGETICVM.

De septem Angelis phialas plenas iræ Dei in terram
effundentibus.

Imaginaria huius capituli visio describitur.

SECTIO PRIMA.

PRIMUM audiuit Ioannes vocem magnam de templo, hoc est, de caelo dicentem septem Angelis. Ita, & effundere septem phialas iræ Dei in terram. Secundo, Primus Angelus effudit phialam suam in terram: Et factum est vulnus sanum, & pessimum in homines, qui habebat characterem bestiae, & in eos, qui adorauerunt imaginem eius. Pessimum vulnus dicitur, id est, mirum in modum crucians. Quo etiam sensu accipiendum est illud Iob. 2. Egressus Satan à facie Domini percussit Iob ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem eius. *S. auum autem appellatur, non quod ex crudelitate profectum fuit, sed quod esset dirum quoddam vulnus, & magnum, atque adeo sauitiam, & crudelitatem præ se ferret.* Tertiò, secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui, & omnis anima viuens mortua est in mari: Dicitur mare conuersum esse in sanguinem sicut mortui, id eum, eum colorem retulisse, quem refert cruor hominis occisi. Per animam viuentem accipienda sunt omnia aquatilia. Quarto, Tertius Angelus effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum, & factus est sanguis, id est, omnes aquæ fluminum, & fontium conuersæ sunt in sanguinem. Tum verò addit Ioannes Angelum aquarum, id est, Angelum, qui præest aquis, (sunt enim omnia hæc inferiora per Angelos distributa, ut eorum curam habeant,) dixisse: *Iustus es Domine, qui es, & qui eras sanctus, quia hæc iudicasti: quia sanguinem sanctorum, & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere, digni enim sunt.*

Quinto, Quartus Angelus effudit Phialam suam in solem, & datum est illi æstu affligere homines, & igni: & æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomen Dei, nec egerunt penitentiam. Cum dicitur: *Datum est illi æstu affligere homines, & igni:* significatur tantum fuisse æstum, & ardorem solis, ut ignis potius videretur: est enim ad verbum Græcè: *ἔσθην ἐν αὐτῷ καὶ οὐκ ἔσθην ἐν αὐτῷ* hoc est, *Est datum est illi æstuare facere homines in igni.* Sextò, Quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiae, & factus est regnū eius tenebrosū, & cōmandauerunt linguas suas præ dolore, & blasphemauerunt Deū cali præ doloribus, & vulneribus suis, & nō egerunt penitentia. Cōmanduare linguas suas hoc loco est illas præ rabie, & indignatione mordere, & concidere perinde, atque si verè comederentur. Septimò, sextus Angelus effudit phialam suam in flumē illud magnū Euphratē. & secans aquā eius, ut præpararetur via Regibus ab ortu solis. Aditq; vidisse se de ore draconis, & de ore bestiae, & de ore Pseudoprophetae exeuntes tres spiritus immundos in modū ranarū. Octauo, Dicuntur Reges vniuersæ terræ congregandi in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon. Nondè, septimus Angelus effudit phialam suam in aërem, &

exiuit vox magna de templo à throno, dicens: factum est, Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terramotus factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt subter terram. Et facta est ciuitas magna in tres partes (male quidem Latini codices habent fracta est, cum Græcè habeatur, ἡ πόλις, id est, facta est,) hoc est, tribus magnis partibus relictis ex terramotu ipsa ciuitas manebit diuisa in tres partes. Et ciuitates gentium ceciderunt: multæ enim ciuitates toto orbe terramotus istius magnitudine corruerunt. Præterea Babylon magna uenit in memoriam ante Deum, ut meritas pœnas reciperet: multæ etiam insulæ, & montes vi eiusdem terramotus sunt euersi. Denique grando magna sicut talentum, id est, extraordinariæ cuiusdam magnitudinis descendit de cælo in homines. Græcè est, ὡς τοῦ ταλάντου: appellant autem Græci talantiaron, hoc est, talentare, id, quod est magnæ molis, & vastæ magnitudinis, ut annotauit Erasmus in scholiis super Apocalypsim. Glossa in hunc locum ait talentum magnum esse centum viginti librarum, mediocre septuaginta librarum, minimum librarum quinquaginta. Sed tantum abest, ut impio grandinis supplicio emendati resipiscerent, ut potius propter plagam grandinis Deum blasphemarint. Hæc quoad imaginariam uisionem.

Glossa.
Quid talentum magnum, mediocre, et minimum.

Septem Angelorum phialas effundentium mysterium, & literalis sensus iuxta nostram sententiam explicatur.

SECTIO II.

Reculenda est duplex illa septem horum Angelorum expositio, quam superiori capite tradidimus: una nostra, qua diximus per septem hosce Angelos accipiendos esse plurimos Angelos diuinæ iustitiæ ad ministros, qui septem plagas à Ioanne commemoratas extremo illo tempore mortalibus inferent: altera communis, quæ in septem Angelos uniuersos illius temporis Prædicatores intelligit, qui terribilia à Deo peccatoribus decreta supplicia denunciabunt in septem istis plagis abumbrata. Igitur hæc sectio de docebimus, quid iuxta nostram sententiam per has septem plagas accipiendum sit: in sequenti eadem iuxta communem sententiam explicabimus.

Itaque has omnes plagas ad literam, ut uerba sonant, accipiendas esse arbitramur. Quemadmodum enim olim Ægyptum Deus per Moysen decem affecit plagis grauissimis, quæ in lib. Exodi commemorantur: & deinde succedentibus mundi ætatibus multa, variæque supplicia in orbem, variæque prouincias, ac nationes inuexit: ita etiam extremis illis temporibus, cum supra modum Antichristi, eiusque sectatorum licentia, libidò que dominabitur, impios grauissimis plagis affliget ministerio Angelorum, quæ hoc capite referuntur. Quare quod in primo Angelo dicitur de uulnere sauo, & pessimo, ita ut dicitur, accidet: quædam incognitum sit, cuiusmodinam uulneris genus esse debeat, Simile quantum plagam Deus intulit in Ægyptios, Exod. 9. *Factæque sunt ulcera uesciarum surgentium in hominibus, & iumentis.* Et Philistæi grauissimè in inferioribus, & secretioribus corporis partibus diuinitus afflicti fuerunt, eo quod arcam testamenti captiuam retinerent, ut refertur 1. Reg. 5. Itaque uulnere aliquo sequissimo punientur diuinitus Antichristi sectatores, hoc est, ut Ioannes ait, qui characterem bestie habuerint, eiusque imaginem adorauerint. Secunda plaga erit in mari, quod conuertetur in sanguinem, & omnia maris aquatilia interibunt. Sic enim in Ægypto aqua Nili fluminis in sanguinem conuersa est, & pisces,

Extremis mundi temporibus impios Deus grauissimis plagis afflicet Exod. 9. 10.

1. Reg. 5.

feces, qui erant in flumine, mortui sunt, computruitque fluuius, & non poterant Egyptij bibere aquam fluminis. Tertia plaga erit in fluminibus & fontibus, quae etiam in sanguinem conuertentur. Quarta erit super solē, qui extraordinario, & prodigioso quodā aëtu terram aduret. Quinta erit super sedē bestiae, id est, super regnū Antichristi, ut interpretatur Andr. Celsus, quod dicitur reddendū tenebrosū: quia nimirū Antichristi sectatores maximis plagis à Deo percussi nō fruuntur ampliùs tā prospero rerū suarū successu: sed ex cruciati doloribus vsque adeo torquebuntur, ut dicat Ioannes, quod praeter doloribus, vulneribus, & rabie commanducare debeant linguas, & in Deum execrabiles iactare blasphemias. Sexta erit in flumine magno Euphrate, qui siccabitur, ut prepararetur via Regib⁹ ab ortu Solis: nā ut diximus in tractatu de Antichristo, ex decē illis Regibus, qui Antichristi tempore orbis imperiū obtinebunt, tres occidendi sunt ab Antichristo, septē reliqui vltro ipsi parebūt: & quoniam alii qui ex his septem erunt eo tempore in partibus Orientalibus, idcirco dicitur siccāndus Euphrates fluui⁹, ut facile possint ad Antichristū transire, eū illōq; bellum nefarium, & funestū Christi, inferre.

Andr. Cels.

Quod autem hoc loco addit Ioannes, exiuisse de ore draconis, & de ore bestiae, & de ore Pseudoprophetae tres spiritus immandos in modum ranarum, (haud dubiè propter immunditiam, & importunam loquacitatem) itaque ad Reges totius orbis, eosque in praelium congregare ad diem magnum omnipotentis Dei, illud significat draconem, id est, diabolū, bestiam, id est, Antichristum, Pseudopropheta, id est, praecursorem eius, insignem illum Concionatorem, de quo aliàs diximus, praecipientes esse tribus insignibus Daemonibus, (hoc enim est exire de ore ipsorum, id est, ad imperium ipsorum) ut eant ad septem illos Reges, qui vltro Antichristo parebunt, eisque persuadeant, ut coacti ex omnibus suis provinciis innumerabili exercitu sese ad Antichristum adiungant, ut cum eo bellum Christianis inferant, Christi quoque nomen penitus conentur extinguere: Et quoniam omnes illos Christus tandem debet euertere, ut dicitur cap. 17. illis verbis: *Hic enim Agnus pugnabit, & Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est*: idcirco dicuntur congregandi in praelium ad diem magnum omnipotentis Dei, in quoniam nimirum Christus se omnipotentem Deum esse declarabit. Vnde siccatio Euphratis nō plaga est aduersus fideles, sed istis Regibus funesta, quibus malo suo liceatur Euphrates, paraturque via, ut ad locum certaminis conueniant, & itaque simul omnes cum Antichristo diuinitus extinguantur. Nec verò mirum videri debet, quod Antichristus, vltique praecursor potestatem habeant praecipienda demonibus, ut huc, illucque discurrant, legationibusque in specie, & forma visibili fungantur. Etenim Antichristus recipiet à Dæmone omnem huiusmodi potestatem, Dæmonibusque, ut satellitibus, ministris, & legatis ad omnem hominum perniciem abutebit, ut in tractatu de Antichristo ex antiquis Patribus ostendimus. Locus celeberrimus huius praesignificatur, cum dicitur: *Congregabis illos in locum, qui vocatur Hebraice Armagedon*. Quidam recentiores suspicantur esse locum prope Hierosolē, & prope vallem Iosaphat, vbi iudicium est futurum, deduci quo à radice *Wram*, quae significat dolose agere, & radice *Gadad*, quae significat exercitum congregare, ut indicetur Deum quodammodo callidè ac dolosè Reges istos cum suis exercitibus vnum in locum coacturum, ut simul omnes extinguat. Coniiciunt etiam videri corruptam vocem, & pro *Armagedon* legendum esse *Maggedon*, siue *Maggedo*, quae fuit vrbis prope Iesraelem ciuitatem Metropolitim decem tribuum, sitamque ad radices montis Gelboë, quae vrbis, habuit campum magnum capace pra-

III.

Apo. 17. 14.

Siccatio Euphratis Antichristo, eiusque sectatoribus funesta.

Armagedon vbi sit, & eius etymol.

Maggedo ciuitas metropolis decem tribuum.

Zachar. 12.
2. Paral. 35.
D. Hieron.

Nic. Zeger.

In eoloco ubi
superatus fu-
rit Antichri-
stus Ecclesia
secundum rur-
sus conserget

lij, cuius fit mentio Zachar. 12. & 12. Paralip. 35. Verum similes coniecturae de corruptis nominibus, quae suffugij causa excogitari solent, non multum doctioribus probantur, maxime cum omnibus codicibus aduersentur. D. Hieronymus tractatu de nominibus Hebraicis, *Armagedon*, inquit, interpretatur *Consurrectio tecti*, siue *Consurrectio in priora*; sed *melius Mons lacunculis*, vel *Mons globosus*. Nicolaus Zeger. in Scholiis super Apocalyp. ait secundum quosdam interpretari montem Euangelij, vel pomorum siue fructuum. Ex quibus verbi interpretationibus multa doctores colligunt ad sensum potius mysticum, quam literalem pertinentia. Quare convenientius videtur, ut in scitiam nostram profiteamur, dicamusque hunc locum esse nobis incognitum: propter mysterium autem appellasi Hebraei *Armagedon*, id est, *Consurrectionem tecti*, siue *Consurrectionem in priora*: qui eo nimirum loco diuinitus Antichristo superato, Regibusque eius sectatoribus euersis, rursus Ecclesiae tectum consergere debeat, & in pristinam gloriam vendicari. Aut certe montem de latruaculis, quia ed Antichristus cum suis omnibus sectatoribus conueniet. Montem etiam Euangelij, quia in eo Euangelij veritas, falsitasque sectae Antichristi declarari debeat. Montem pomorum, siue fructuum, quia ibi tandem sese omnes Christi gloriam agnoscentes, eiusque potentiam, & Diuinitatem praedicantes tanquam pulcherrima poma ex Christo nobilissima arbore pullulare, & tanquam lectissimi fructus colligendi sunt.

III.

Septima plaga
cuiusmodi
futura.
Ioseph.

Septima plaga erit in aere: horrida enim quaedam tonitrua personabunt, cospicientur fulgura, & incondita per aerae voces audientur, nimirum ut nonnulli interpretantur, quasi ex exitu dm discurrerentium: nam simile quiddam accidit ante Hierosolymae euersionem per Titum, ut narrat Ioseph. lib. 7. de bello Iudaico, cap. 21. *Ante solis*, inquit, *oculum visum sunt per inana ferri curvus totius regionibus*. *Erant autem acies exanimes nubi*, *et resonabat in aerae sonus*. *Festo autem die quem Pentecosten vocant, quod est, Sacerdotes intimum templum more suo ad residuum a celebrandis ingressi, primum quidem motum quendam strepitum quosenserunt: postea vero subitam vocem audierunt*. *Migremus hinc*. Sicigitur proxime antichristi mundi voces etiam in caelo audientur, strepitusque exercituum per aerae discurrerentium. Quid enim proxime ante finem mundi hoc debeat contingere, significat Ioannes, cum hierosolam fuisse vocem magnam de templo: *Fatum est*, id est, iam finis mundi aduenit. *Ostendit*. *Fi est magnus quidam terramotus, quo ciuitas magna in tres partes scinderet*. Hanc urbem arbitratur Arethas Caesar esse Hierosolam, quae urbs magna dicta est, et cum corpora Erioch, & Helia dicuntur a ciuitate in plebeis ciuitatis magnae. Quae expositio melior est, quam illa, quae communiter traditur, de ciuitate imperij, haud dubie enim certa aliqua ciuitas designatur, quae non alia videtur intelligenda, quam ipsa Hierosolymorum urbs, quae eo tempore magna merij dicitur, quod etiam, ut diximus, in tractu de Antichristo, cum Antichristus instaurabit, celeberrima magna efficiet. Denique quae aduenit de Babylone iam ad cap. 17. & 18. pertinet. At quibus de literali expositione: hinc communem, quae nobis mystica videtur aggrediamur.

Communis

VIE GA
Apocalyp

Communis de septem Angelis septem phialas effundentibus
expositio commemoratur.

SECTIO III.

Quamquam ea expositio, quam haecenus tradidimus, literalis nobis videatur, non duximus tamen praetermittendam communem, tum ne quis eam in hunc nostris commentariis desideret: tum quia multa continet ad moralem tractationem spectantia. Et licet interpretes varient, seligemus tamen ex omnibus unam, quae magis contextui consentanea videbitur. Primum igitur dubitant Haymo, & Pannon. cur cum praeceptum fuisset septem Angelis, ut phialas suas in terram effunderent: *Ite*, inquit, & effundite septem phialas ira Dei in terram: solus primus in terram fuderit: reliqui omnes mandatum transgressi videantur, cum alius quidem in mare, alius in flumina, & fontes, alius in Solem, alius super sedem bestiae, alius in Euphratem fluvium, alius in aërem fuderint? Cui dubitationi respondet haec omnia comprehensa fuisse nomine terra, quae hoc loco mystice accipienda est, nimirum pro multitudine impiorum. Verum illud etiam mysterium elici potest sepe iustitiae ministros in suppliciis inferendis mandatū Regis, ac Principis excedere, & ubi potestatem aliquam puniendi à Rege irato acceperunt, continuo sibi omnia licere existimare. Hanc enim eandem ob causam cap. 7. quidam Angelus clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datū est nocere terrae, & mari, dicens: *Nolite nocere terrae, & mari, neque arboribus.* Quid enim opus fuerat addere, *arboribus*, Angelis solum nocendi terrae, & mari habebant potestatem? nimirum vidit ille Angelus eos ultra potestatem sibi data quiescere, & cum solum illis permissum fuisset nocere terrae, & mari, etiam arboribus nocere solitos, atque idcirco clamavit: *Nolite nocere terrae, & mari, neque arboribus.* Praeterea timuit, ne si rectè admodum interpretarentur mandatum Principis de conferendo beneficio, nisi conceptis verbis arbores expressisset: sed enim solent Regis ministri potestatem quidem puniendi amplissimè, beneficia autem conferendi strictè interpretari.

Secundo, Primus Angelus, qui effudit phialam in terram, iuxta communem expositionem, quam sequuntur Primasius, Richard. de S. Victor. Haymo, Ansbere. Pannon. Ioach. Hugo Cardin. significat Apostolos, qui fidem Christi predicare ceperunt, comminantes iram Dei maximam super eos venturam, nisi fidem eius reciperent. Significatur autem Iudaei nomine terra, quia terrenis commodis insistent. *Haec est vulnus saevum, ac pessimum.* Videlicet peccatum infidelitatis, quia Christum ut Regem, ac Messiam noluerint. Ad exaggerandum autem hanc Iudaei populi infidelitatem appellatur vulnus saevum ac pessimum, hoc est, ferè insanabile. Et quoniam haec Iudaeorum infidelitas usque ad Antichristi tempora perdurabit, quem ipsi tanquam Messiam recipient, idcirco subiungitur: *In homines, qui habent characterem bestiae, & in eos qui adoraverunt imaginem eius.* Potest quoque per vulnus saevum, ac pestilentium designari haec Iudaeorum extrema captivitas, quam usque ad finem mundi patientur.

Tertio, Secundus Angelus, qui effudit phialam in mare, designat Concionatores, qui Gentilibus Evangelium predicabunt, ut exponit Richardus de sancto Victore. Rectè enim, per mare Gentilitas per fallorum Deorum diversitatem fluctuans intelligitur. Hi igitur Praedicatores, Gentilibus

Haymo.
Pannon.

Cur phialas
omnes in ter-
ram non ef-
fuderint.

Apo. 7. 3.
Ministri in
inferendis sup-
plicii mandatu
Regis solent
excedere.

I.
Homes.
Rich. Vict.
Haymo.
Ansbere.
Pannon.
Ioachim.
Hugo Card.
In dei terra
nomine cur
significentur.
Eorundem
item infideli-
tas vulnus
saevum ac pes-
simum cur
appellatur.

III.
Rich. Vict.

Gentilitas de
signatur per
mare.

Esai 23. 4.
Mundus ma-
ris nomine
adumbratur
in scriptis.
D. Hieron.
D. Ambros.

in infidelitate permanentibus Diuinam iram impendere denuntiabunt, quod est phialam plenam iræ Dei effundere: quorum pœna est maris in sanguinem conuersio tanquam mortui, quo significatur Gentilium reprobatio, per quã sempiternæ morti adiudicantur. Alij per mare mundanos homines accipiunt: quod enim mundus maris non nunquam adumbrari solet, ut alia interim omitamus, perspicuum est ex illis verbis Esai. 23. *Erubescet Sidon: ait enim mare: fortitudo maris dicens: Non parturivi, & non peperivi, enutriui iuuenes, nec ad incrementum duxi virgines. Quo loco per mare mundum intelligit D. Hieron. Verum non est prætermittenda obiter elegans D. Ambrosij expositio: is enim libro de Helia, & ieiunio, cap. 19. expendit conueniunt mare de cupiditate eorum, qui ipsum negotiandi causa navigationibus exagitant. Tanquam fatigati, inquit, elementi vox ista est, ac dicens: Erubescet Sidon: hoc est: meos stultus negotiator arguis, cum sis ipse stultus iniquior. Erubescet quia si pudore, si quidem periculo non moueris: uerecundiores uenti sunt, quam uestra cupiditates: illi habent otia sua: nunquam uestra querendi studia seriantur: & cum otiosa tempestas est, nunquam uestra otiosa sunt nauigia. Nō parturivi, nec peperivi, nec enutriui iuuenes: quid me inquirant, quos nescio, quos non agnosco?*

III.

Hugo Card.

2 Petr. 2. 17
Hæreticorum
plaga detestabilis.

Quartò, Tertius Angelus, qui effudit phialam super flumina, & fontes aquarum, ut uult Hugo Card. gerit personam Concionatorum contra Hæreticos, & Schismaticos diuina iudicia denuntiantium, qui per flumina, & fontes exprimuntur: quoniam continent, & seaturunt aquam pessimorum dogmatum. Quam ob causam de illis dicitur 2. Petr. 2. *Ei sunt fontes sine aqua*, (nimirum ueræ sanæque doctrinæ) *nebula turbidius exagitata*, quibus caligo tenebrarum reueretur. Porro fundente Angelo phialam, aqua fluminum, & fontium uersa sunt in sanguinem: quo indicatur plaga Hæreticorum detestabilis, & execranda, Deumque maxime in Hæreticos læuiturum.

V.

Pannon.

Malis Eccle-
siae Prælati
acerbissima
supplicia com-
minatur An-
gelus.

Primas.

Quintò, Quartus Angelus effudit phialam in solem, hoc est, in Ecclesiæ Prælatos, non rectè Ecclesiæ à Christo sibi commissas administrantes: quin potius malo exemplo, peruersaque administrandi ratione omnia disturbantes. Ita plerique apud Cælium Pannonium, à qua expositione ipse non multum abhorret, merito que reuocatio sententiam per selem hoc loco Romanum Pontificem accipientium. Communiter interpretes per solem hoc loco Antichristum accipiunt, qui extremis illis temporibus per summam potentiam, & admiranda prodigia quasi sol in mundo fulgebit. Sed rectius est, ut scilicet nomine Prælatos in ueneritum accipiamus, qui soli merito comparantur, quia eorum est in Ecclesiis uerbo, & exemplo splendescere. Itaque malis Ecclesiæ Prælati, qui tunc erunt non pauci, Angelus iste acerbissima supplicia comminatur. Quod uerò subiungitur: *Et datum est illi*, non intelligendum est concessum fuisse Angelo, ut male credit Primas, sed concessum fuisse soli, ut aëtu, & igne homines cruciaret. Etenim semper in eodem modo, quæ illis plagis commemorantur, non ad Angelum pertinent, sed ad locum, in quo phiala funduntur. Cum ergo quartus Angelus dicatur effundere phialam suam in solem, de sole accipiendum est, quod sequitur, datum esse illi aëtu affligere homines, & igne. Et ita intelligendum, quod ex iniustis, malisque Prælati, suisque utilitatibus tantum seruientibus profectum fuerit, ut homines maxime cruciarentur, & quasi iniustis legibus, iudiciisque oppressi aëtuarent, unde ulterius propter malos, iniustosque Prælatos Deum blasphemauerint, in suaque ipsorum pernicacia magis obfirmati noluerint agere penitentiam.

VI.

Sextò, In quinto Angelo, qui effudit phialam suam super sedem bestie, communiter Interpretes accipiunt Concionatores, qui aduersus multitudinem repro-

reprobatorum Antichristo adherentium disputabunt: merito autem reprobi se- ^{Reprobi sunt}
des bellæ appellatur, quoniam in illis Antichristus regnabit. ^{Antichristi} *Es factus est, inquit,
^{sedes.} *regnum eius tenebrosus*: tum quia Deus regnū Antichristi obscurabit, tandem que
omnino euerteret: tum quia eius sectatores non illuminabit peculiari bus illis au-
xilii, mentis que illustrationibus, quibus sanctos illuminare consuevit.*

Septimò, In sexto Angelo, qui effudit phialam suam in flumen magnum Eu- VII.
phratem, designantur Concionatores comminantes Principibus, magnisque ac
potentibus viris, qui Antichristo adherent: per flumen enim magnum Eu- ^{Felicitatem}
phratem potentia huius seculi, felicitasque mundana exprimitur: Itaque Deus ^{mundanam}
Principum, ac Tyrannorum, qui Antichristum receperint, potentiam, opesque ^{exprimit Eu-}
extenuabit, prosperum que secundarum rerum cursum cohibebit, quod est Eu- ^{phrates.}
phratem fluium exsiccare, vt præparetur via Regibus Orientalibus, id est, Ca- ^{1. Petr. 2. 9.}
tholicis, ac fidelibus, qui Orientē, id est, Christum inhabitant, iuxta illud 1. Petr. ^{felicitatem}
2. *Vos estis gens electum, regale sacerdotium*. Itaque felicitatem Principum se- ^{principum se-}
ctatorum Antichristi, Christianis que persequentium Deus extinguet, vt Reges isti Orien- ^{clatorum Anti-}
tales tandem è tantis calamitatibus erecti, excitati que respirent. Atque hæc qui- ^{christi Deus}
dem iuxta communiorē huius loci expositionem, quæ nobis tamen mystica ^{extinguet.}
potius, quam literalis videtur.

Illud fortasse verius Euphratem hoc loco non translātē, sed propriè accipien- VIII.
dum, eo que tēpore exsiccandum prædici, vt per illum pateat via Regibus Orien-
talibus, quod possint ex Oriente ad partes Occidentis facile commearē, vel vt sese
ad Antichristum per id temporis in Occidentis prouinciis agentem adiungāt, vt
collectis in vnum copiis aduersus Ecclesiam bellum gerāt, quemadmodum ple-
rique interpretantur: vel, quod nobis videtur probabilius, non vt aduersus Ec- ^{Reges Orien-}
clesiam Euphratem traiciant: sed potius, vt pro Ecclesia, ac fidelibus contra ^{tales contra}
Antichristum, eiusque exercitum decerent: Nam cum Euphrates non nisi diuina ^{Antichristū}
potentia exsiccandus sit, (siquidem Deus est, qui sextum hunc Angelum phialā ^{decerant.}
iræ suæ in Euphratem iubet effundere) non est verisimile illum eius rei gratia
siccandum fore, vt Orientis Regibus via ad persequendam Ecclesiam munia-
tur: sed potius ad eam ab Antichristi tyrannide pro viribus, quoad poterunt,
vendicandam. Itaque plaga hæc ad Antichristum pertinet, quoniam idcirco Deus
siccabit Euphratem, vt iram suam per Orientales Principes in Antichristum, eius-
que sectatores exercent. Atque in hanc sententiam interpretantur nonnulli Re- ^{Psal. 67. 3.}
centiores illud Psalm. 67. *Regna terra cantate Deo: psallite Domino, psallite Deo*
qui ascendit super caelos caelorum ad Orientem. Vbi ascendere idem est, atque equi-
tare: equitare autem Deus Christusque dicitur, cum regna aliqua, siue pro- ^{Equitare}
uincias ad sui cognitionē, fidem que traducit. Quia enim fidei prædicatio in sa- ^{quando dica-}
cris literis bellum dicitur, quod cum gentium erroribus perfidia que suscipitur, ^{tur Deus.}
vt ex Davidis potissimum, Esaię, Zacharię que vaticiniis manifestum est: inde est,
quod Christus in conuersione gentium, tanquam Princeps, bellator que poten-
tissimus equitare dicitur, iuxta illud Abac. 2. 3. *Qui ascendit super equos suos, & qua-
driga sua saluatio. Eandemque ob causam Apostoli, & reliqui Concionatores ^{Abac. 3. 8.}
Euangelici Duces nominantur, & bellicis nominibus, velut equorum, arcuum,
belli, Zacharię 9. & 12. aliisque similibus censentur. Quare cum dicitur Christus
ascendere super caelos caelorum ad Orientem, de Orientalium prouinciarum ad ^{Zac. 9. & 12.}
fidem conuersione accipere oportet, vt prænuntiet Propheta fore, vt sicut pri- ^{Occidentaliū}
mum Christus in partibus Occidentis equitauit, iuxta illud, quod in eodem Psal- ^{partium con-}
mo præcellerat, *Iter facite ei, qui ascendit super Occasum: Dominus nomen illi: quibus* ^{uersio prædi-}
*cauitur.**

verbis Europæ, Africa, & Occidentalium partium Asiæ conuersione prædicitur, in quibus multò gloriosius fides Christi, quam in Orientis regionibus, Mesopotamia scilicet, Arabia, Persia, atque India recepta est: ita è contrario secundum Christi ascensum ad Orientem futurum, illique in partibus Christi magna cum gloria, nominisque sui celebritate super innumerabiles nationes, poterit illi obsequi. Reges ac Dynastas ascensurum, qui ipsius fidei, legisque imperium suscipere debeant, ut nostris iam temporibus Diuino beneficio magna ex parte factum uideamus: atque ad extrema mundi tempora accumulati implendum existimamus, uidelicet innumeras tunc nationes, earumque Reges, ac Principes futuros Christianæ fidei, ac religionis cultores, ex quibus erant hi Reges Orientales, qui tria-cto Euphrate aduersus Antichristum coacto numero exercitu ire parent, cum eo que acerrimum pro Ecclesiâ, Christi que fide, ac religione bellum gerant. Id quod cum fiet, tunc uerò Antichristus magis iritabitur, conabiturque per predicatorum suos Catholicis concionatoribus obistere: imo Principes sibi subiectos ad redintegrandam aduersus fideles persecutionem incitare. Quam ob causâ tres spiritus immundos tanquàm legatos mittet ad uniuersos terræ Principes, ac Dynastas: de quibus tamen omnibus Christus in campo Armagedon gloriose triumphabit, cuius campi expositio ex superiori sectione petenda est.

IX. Denique in septimo Angelo, qui effudit phialam suam super aërem, ut uoluit

Rich. Viñ.

Haymo.

Pannon.

Per aërem.

designantur

dæmones.

Ephes. 6. 12.

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

ubi dicitur

Richard. de S. Viñt. Haymo, Pannon. & alij intelliguntur concionatores aduersus aëreas potestates, sive Dæmones in isto aëre agentes Diuina iudicia denunciantes, quòd Antichristum, eiusque sectatores aduersus Ecclesiam incitauerint. Rectè enim per aërem, eiusmodi aëreas potestates designari ostendit illud ad Ephes. 6. Non est collectatio aduersus carnem, & sanguinem: sed aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi relictas tenebras harum, contra spiritum nequitia in celestibus. Cum igitur ista aëreas potestates ex hoc aëre, ubi modo sunt in gehennam precipites agerint, audietur quamprimum vox de cælo quasi cælitum gratulantium: Factum est. Quæ deinde subiiciuntur de diuisione ciuitatis magnæ in tres partes, de Babylone mystica, hoc est, multitudine impiorum accipiendæ sunt; quæ ut exponit Richard. sicut modò tribus partibus continetur, uidelicet Paganismo, Iudaismo, & falso Christianismo: ita in fine mundi in tres partes secabitur per diuersitate supplicij: aliter enim Pagani, aliter Iudæi, aliter falsi Christiani punientur. Reliqua, quæ de insulis, montibus, grandine que dicuntur, ad penam etiam reproborum pertinent, ut fuse Richard. alijque exponunt. Illud dissimulandum nõ fuit, quod idem auctor animaduertit, comparari grandinem talento, eo quod supplicium apud inferos sempiternum, quo Deus in damnatos animaduertit, suæ æquitatis examine ponderat; pro ut singulorum merita deposcunt.

Richard.

Eadem septem Angelorum phialas effudentium uisio ad septem lethalia crimina mysticè accommodatur.

SECTIO III.

D Viximus operæ præteritam post traditam duplicem literalem expositionem, quandam aliam mysticam de his septem plagis afferre uisionemque accommodare septem capitalibus criminibus: sunt enim multa, eaque aptissima que

quæ in hanc expositionem conueniant. Primus igitur Angelus effudit phialam suam in terram, id est, super inuidos, qui terreo colore propter tristitiam, ac mororem, quam de aliena felicitate concipiunt, terram ipsam inuitatur. Rectè autem subiungitur: *Factum est vulnus sanum, & pessimum in eos, qui habebant charactere bestiarum*: tum quia inuidi peculiari ratione characterem bestiarum habent, eo quod inuidia sit Dæmonis propria, quippe qui hominibus felicitatem inuidet: tū quia nullum vulnus est, quàm inuidia, crudelius, & immanius, quippe quæ eum, cui dominatur, crudeliter lauciati: etenim inuidus cõsumitur tristitia, & alienis bonis contabescit. Id quod expendit D. Chrysostr. super 12. cap. epist. 1. ad Corint. *Inuidia, inquit, malum suum nescit, successu loquitur aliorum, expressa quadam satana imago. Habet inuidus in se peccatum suum, quod rodentem vermem, veneni fontem, & febrem ardentissimam, qua uritur. Melius esset habere serpentem in visceribus sese volutantem, quàm liuorem intus depascentem.* Et hom. 1. in Psalm. 51. in eandem sententiam annotauit verba illa, quæ dixit frater Dauidis natu maximus, eidem gloriam, & famam inuidens, quam ex singulari cum gigante certamine consecuturum esse præuidebat: *Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oves in deserto? Ego noui superbiam tuam, & nequitiam tuam. Sicut tinea, inquit Chrysostr. comedit vestimentum: sic & inuidia inuidentem consumit.* Hanc inuitum ob causam cõcidit vultus Cain, cum vidit Deum ad Abel fratris munera respexisse, vt patet ex illis verbis Domini Genes. 4. *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? nonne si bene egeris, recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit? Quo loco peccatum pro peccati punitione sumitur. Est autem obiter aduertendum pro eo, quod nos habemus, In foribus peccatum tuum aderit, esse Hebraicè, Ad ostium peccatum tuum robes, id est, cubans, à radice Rubus, id est, cubare, siue iacere, & est proprium leonum cubantium, veluti Genes. quadagesimo nono: *Requiescens accubasti vt leo.* Itaque sic locus accipiendus est: Statim peccatum in foribus tanquam leo, vel molossus cubabit ad te ipsum terrendum, ac deuorandum, hoc est, supplicium, ac pœna mox peccatum, & culpam consequetur. D. August. viperam similem dixit eandem ob causam serm. 83. de tempore. *sicut, inquit, aiunt viperæ dilacerato illo ipso materno utero, in quo concepta sunt, nasci, ita & inuidia natura illam ipsam animam, à qua concepta est, consumit, & perdit.* Denique Euseb. auctor Græcus vt refertur in catena Græca in Genes. de inuidia intellexit illud, quod Gen. 27. dicitur de Esau, cum sibi vidit præceptam à fratre Jacob benedictionem patris: *Irrugit clamore magno, & consternatus ait, & c.* Nam tam, inquit, dolet præceptam benedictione, quam fratris inuidet dignitati, vt qui luenti ingenio fratris damno magis, quàm suo cõmodo inuigilaret: id quod arguit & clamor vehemens, & consternatio: Quis verò dubitet consternationem istam exprimere malum illud, quod inuidia in inuidi mentem insert in illam vsque ad consternationem, & interitum crudeliter fauendo.*

Secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui, & omnis anima viuens mortua est in mari. Significatur accidia, quæ mari propter amaritudinem comparatur: esse enim tristitia, siue amaritudo quadam, ac tedium de spiritali bono. Etenim, vt ait D. Thom. 2. 2. quæst. 35. artic. 2. tristari de bono Diuino, de quo charitas gaudet, pertinet ad speciale vitium, quod vocatur accidia. Merito autem factus est sanguis tanquam mortui, & omnis anima viuens mortua est in mari: quia per accidiam virtutes omnes, quæ in anima vivebant, languent, & quodammodo moriuntur. D. Gregor. libr. 32. Moral. sex assignat accidie filias, militiam,

Primi Angeli phialam effusa super terram inuidorum.

Bono alieno quam tabescat inuidus. D. Chrysostr.

1. Reg. 27.

Gen. 4. 6. Peccatum vt leo accubans ad deuorandam

Gen. 49. 9.

Viperam similem leui inuidia. D. August.

Euseb. Esau in frangem inuidia Gen. 27. 34.

II. Secunda Phiala effusa in mare accidia. D. Thom.

D. Gregor. Accidie filia.



D. Isidor.

rancorem pusillanimitatem, desperationem, torporē circa præcepta, euagationem mentis circa illicita. D. Isidorus in lib. de summo bono distinguit tristitiam ab accidia, aitque tristitiam esse, quatenus à laborioso opere, ad quod est obligatio receditur: accidiam verò, quatenus sit ad quietem, indebitam conuersio. Tunc subiungit ex tristitia oriri rancorem, pusillanimitatem, amaritudinem, desperationem: ex accidia verò septem vitia, otiositatem, somnolentiam, importunitatem

Fugienda accidia vniuersitate rerum exemplo.

mentis, inquietudinem corporis, instabilitatem, verborum statem, curiositatem proficisci: de quibus legendus est D. Thom. quæst. citata, art. 4. Fugiendâ accidiâ docet ipsa rerum vniuersitas, in qua nihil est otiosum: sed omnia res illas, ad quas destinata sunt ab auctore naturæ, summa alacritate cõficiunt. Quod præcipue cernere liceat in sole, cuius in nascendo alacritatem admiratur Regius vates Psal.

Psal 19. 5.

18. *In sole, ita vt est Hebraicè, sibi posuit tabernaculum suum: et ipse tanquã sponsus procedens de thalamo suo exultauit vt gigas ad currendam viam:* quasi dicat, Ipse sol, vbi nocturno tẽpore in hemisphærio inferiori delituit, summo mane procedit magno cum splendore: quemadmodum si sponsus splendidissimus indutus vestibus procedat è thalamo, è quo cum progreditur, expectantes amici exhilarantur, & gratulabundi ex cipiunt venientem: & tanquam gigas aliquis potentissimus ad cõficiendum præscriptum sibi spatium promptus, & expeditus exoritur. Exemplum

Exemplum diligentie in Abrahamo Gen. 8. 6.

diligentia, studique rerum diuinarum præbuit Abrahamus Gen. 18. cum ad excipiendos Angelos festinauit ad tabernaculum, dixitque Saræ: *Accelera tria sata simila, commisce, & fac submerisio panes.* Ipse verò ad alimentum cucurrit: & tulit inde vitulum tenerimum, & optimum, deditque puero, qui festinauit, & coxit illum. Quem locum ita expendit Origenes homilia 4. in Gen. *senex currit, Saræ accelerat, puer festinat, nullus piger inuenitur in domo sapientis.* Quod autem c. mnis anima viuens, hoc est, omnia spiritualia dona in hoc accidiæ mari moriantur, perspicuum est ex Proverb. 24. *Per agrum hominis pigri transitur & per vineam viri stulti: & ecce totum replerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erit.* Id quod mysticè fuit adumbratum in Adonibezec, qui Iudic. 1. dicitur amputasse septuaginta Regibus manuum, & pedum que summitates. Sic enim

Origen. Omnia dona spiritualia suffocant accidia.

Prou. 24. 30.

Daemones per accidiam quasi manuum, pedum que summitates hominibus amputat, inuiles eos ad quicquam boni agendum reddens.

Iudic. 1.

III.

Tertia phiala super gule fontes, & flumina.

Tertius Angelus effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum: & factus est sanguis. Nomine fluminum, & fontium plerique gulam accipiunt, cui explendæ immensa diuitiarum flumina, aurique fontes vix sufficiunt. Quia tamen omnes in sanguinem conuertuntur: quoniam vt dicitur Proverb.

Prou. 21. 17.

21. *Qui diligit epulas, in egestate erit.* Nec verò solum in præsentia vita, sed etiam in futura: vnde diues ille epulo apud inferos guttulam aquæ expetebat, quæ tamen ei iure negabatur. Et ad Philipp. 3. *Mules ambulabant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & scens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* In huius rei typum 4. Reg.

Gula sa hac

Et alia omnia

egenti reddi.

Philipp. 3. 18.

4. Reg. 25.

Nabuzardan

typus gule.

dedisti.

25. Nabuzardan Princeps coquorum, seruus Regis Babylonis destruxit muros Hierusalem: quia venter, cui tanquam coquorum Principi omnia seruiunt, vniuersas opes, imo & virtutum ædificia, ac muros, quibus anima se tuetur, funditus euertit. Imò sicut idem Nabuzardan vasa templi transtulit in domum Regis Babylonis, fecitque vasa templi vasa palatii, & coquina: ita interdum luxurii, & abdomini dediti Ecclesiastici beneficiorum redditus, qui etiam vasa facta appellari possunt, efficiunt vasa coquina, cum iis ad infinitos gulæ sumptus sustinendos abutuntur. Denique eleganter dixit Hieronymus in epistola ad Sa-

linam

linam. Procul sint, inquit, à conuiuio crassatuturres, & aues omnes, quibus amplissima pa-
 erimonia auolant. D. Hieron.

Quartus Angelus effudit phialam suam in solem: & datum est illi æstu affli-
 gere homines, & igni: & æstuaerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt
 nomen Dei. Hæc plaga super iram infigitur: rectè namque in solem phiala ef-
 funditur, cum ira dominatur: quia nihil magis lumen rationis obsecrat, & quo-
 dammodo solem mētis de medio tollit, quàm ira: est enim ira furor breuis. Imo
 Seneca tract. de ira, docet nullam esse viam expeditiorem ad insaniam, quàm
 iram. Quo sensu dixit Paulus ad Rom. 12. *Non vosmetipsos defendentes, sed date locum*
ira, quasi videlicet furioso: sic enim furiosis hominibus liberum locum damus. A
 qua expositione non multum abhorret D. Basilius, cum sic locum interpretatur.
 Date, inquit, locum iræ quasi torrenti, qui obuia quaque impetu suo rapidissimo deuoluit.
 Meritò quoque subiungitur consequutum fuisse æstum, & blasphemiam, quia
 propter iram sanguis æstuat, & efferuescit, eumque feruorem blasphemix in
 Deum, sanctòsque consequuntur. IV. Quarta phiala super solem ira. Ira furor. Seneca. Rom. 12. 19. D. Basilius.

Quintus Angelus effudit phialam super sedem bestix, hoc est, super superbiam, y.
 quæ sedes est dæmonis, iuxta illud Iob. 41. *Ipsè est Rex super vniuersos filios superbix.* Quinti An-
 Factum est regnum eius tenebrosum, quia tandem Deus, qui superbis resistit,
 Iacob. 4. eorum superbiam frangit, dominatumque obscurat: & quia superbi ex
 humiliatione incredibilem dolorem concipiunt, propterea dicuntur præ rabie
 suæ, ipsorum linguas commanducasse. Sextus Angelus effudit phialam in flumè
 magnum Euphratem, hoc est, in libidinem, & luxuriam, quæ Euphrati flumini
 comparatur, tum quia instar Euphratis rapidissimi fluminis magnam hominum
 partem secum deuoluit: tum quia dulcium aquarum nomine rectè voluptas
 carnalis exprimitur: siccantur autem aquæ fluminis, quia tandem voluptuarij
 homines, & plurimis in hac vita tum morbis, tum aliis miseris diuexantur, &
 sempiternis tandem apud inferos tormentis cruciantur. Denique septimus An-
 gelus effudit phialam in ærem, hoc est, in auaritiam, quæ instar camælotis aère
 vescitur, nec bonis, quæ possidet, vnquam fruitur. Hanc enim etiam ob causam
 auaritia appellatur *idolorum seruitus*, ad Galat. 5. quoniam, vt ait D. Chrylostomus,
 sicut idololatrx venerantur idola, nec ea præ reuerentia tangere audent: ita aua-
 rus pecunias tanquam idolum veneratur, nec eas præ reuerentia audet contin-
 gere, sed inani tantùm earum aspectu delectatur. Sexti Angeli phiala in luxuriam. Septimi Angeli phiala in auaritia aërem. Galat. 5. 20. D. Chrylost.

ARGUMENTVM.

Richardus de Sancto Victore existimat caput hoc ad quintam adhuc visionem
 huius operis pertinere: fortasse ex eo, quòd vnus è septem Angelis habentibus septem
 phialas plenas iræ Dei mentio fiat. Sed rectius Pannonius cum aliis hinc sextam vi-
 sionem inchoat, in qua de damnatione meretricis magnæ, & ruina Babylonis disse-
 ritur, vt patebit ex sequentibus.